Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 609
Quelle:
Copyright:

non ingratum, si aliquid studiorum meorum in tuo nomine ostenderem. Itaque rem pretiosam et ualde luculentam, sanctissime ac beatissime pater, ad te mitto platonis librum de immortalitate animorum. Nam cum illum apud grecos legerem, multaque in eo libere pie ac salubriter dicta intuerer, digna mihi res uisa est, quam in latinum conuerterem, et maiestati tue destinarem, ut cui animarum cura celitus mandata est, is intelligere possit, quid summus philosophus de animo sentiret. Erit igitur hic liber, ut opinor, tibi uiro doctissimo atque humanissimo non ingratus, ceteris uero hominibus ualde utilis, cum ad doctrinam et intelligentiam, tum ad recte fidei confirmationem. Neque enim minima pars religionis est, que ad animas nostras post hominis mortem pertinet, qua in re licet christiana doctrina nullo indigeat adiumento, cum omnia usque adeo plana ac firma sint, ut in neminem penitus nisi omnino insipientem ulla dubitatio iam cadere possit. Tamen erit ista non mediocris ad recte credendum accumulatio, si uidebunt hominem philosophum ex omni gentilitate acutissimum ac sapientissimum idem, quod nostri de anima sensisse. Quamquam non in hac duntaxat parte recte atque uere fidei plato consentit, sed in aliis multis, ut minime etiam admirer fuisse iam non nullos, qui opinarentur, hebreorum libros huic philosopho non fuisse incognitos. Cernentes enim tantam doctrinarum conuenientiam nullo pacto sibi persuadere poterant, ex proprio sensu platonem illa dixisse, sed aut ab hyeremia propheta didicisse, cum in egyptum profectus, aut in sacris libris, quos septuaginta interpretes in grecam linguam transtulerunt, legisse arbitrabantur, quod et si temporum supputatio non patitur, tamen ex hoc intelligi potest id, quod ego nunc ostendere uolo, me scilicet philosophum ad te mittere, qui a uera religione, cui tu diuino nutu prefectus es, nequaquam abhorret, sed tantam habet conuenientiam, ut fundamenta sententiarum suarum ex nostris libris putetur sumpsisse. Sed iam satis, ad interpretationem ipsam accedamus.

Init vero illa: Hecchecrates. *Ipse affuisti o Phedon ea die: qua socrates uenenum bibit in cratere* (additum alia manu: *uel in carcere.* Rite ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, nisi fortasse *Leonardi* Codex habuisset ἐν τῷ ποτηρίῳ) *an ab alio quodam audisti* &c. Extat clarissimus hic Dialogus Φαιδων ἢ περὶ Ψυχῆς, de quo *Fabricius Bibl. gr.* L. III. c. 1. in edit. *Henr. Stephani Opp. Platonis ex nova Joh. Serrani interpretatione* 1578. T. I. p. 57. f. Interpretationem nostram *Mars. Ficino* notam fuisse, dubitari vix potest; novam tamen ille dedit in *Platone* suo, quae in edit. *Veneta* 1491. *fol.* 175. verso legitur, et non raro ad verbum cum nostra congruit. Illud addo: prima *duo* elegantuli *Codicis* nostri Opuscula coaeva manu multis ad marginem et inter lineas adspersa esse notulis, quae sub initium *tertii* desinunt.